



Disputatio juridica inauguralis de rei vindicatione

<https://hdl.handle.net/1874/345204>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

REI VINDICATIONE,

QUAM
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit

CORNELIUS SWILDENS, Mosæ-Traject.

Ad diem XI. Mar:ii horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, cl^o l^oc^o xci.

A M I C I S

SUIS OMNIBUSQUE


FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

Assessorate Magistrici D. Rebelli

JURISPRUDENTIÆ

FAUTORIBUS.

CORNELIUS SWILDENS, Mole-Trajecti.



*Hanc Disputationem sacram
esse vult*

CORN. SWILDENS.

Trajecti ad Rhenum.

Auctor.

Ex Officiis FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cl. 1701.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

D E

REI VINDICATIONE.

THESIS I.



Quoniam nihil magis humanæ societatis destructionem nocere potest quam libere alterius res possidere, idcirco tam remedia universalia quam singularia Domino, cujus res ab alio vel dolo malo vel bonâ fide possidentur concessa sunt; illa petitiones, hæc rei vindicationes vocari solent de quibus posterioribus nostrum etiamnum agere propositum est

I I.

Est autem vindicatio actio in rem per quam rem nostram ab alio possessam petimus. Dicitur, *rem nostram* quia non agitur cum possessore tanquam obligato ex contractu, tum enim actio in personam deberet dici, sed nomina rei nostræ, quam possidet quod actionum, in rem proprium est §. 1. *inst. de action.*

I I I.

Dividitur in directam & utilem; directa vocatur quæ illis competit qui jure gentium aut civili Domini sunt. *l. 23. ff. h. t.* Competit hæc autem Marito respectu rei dotalis stante matrimonio arg. *l. 9. C. h. t. juncta l. 30. C. de jure dot.* non autem uxori, nisi eo soluto *l. 30. ff. h. t.* datur & ei qui rem usufrucipit, cum post usufrucipationem completam verum dominium lege adjectum sit *l. 3. ff. de usufrucap.* usufrucipatione autem adhuc currente possessori hæc actio non competit, quia dominium per legem ei nondum adjectum est, succurritur tamen actione Publiciana, ut id videndum est *l. 1. §. 2. ff. de publ. act.*

Utilis datur a lege, propter utile dominium vel ob aliam æquitatis rationem. *l. 5. §. 3. ff. h. t. & com-*

competit superficiario, *l. 73. §. 1. ff. h. t. emphytheuticario. l. 1. §. 1. ff. si ag. vectig.* uxori, quæ pecuniam marito donaverat, respectu rerum ex ea comparatarum, si donationem revocet & maritus non sit solvendo *l. 55. ff. de donat. inter. vir. & uxor. pupillo, minori, ecclesiæ, quorum pecuniâ Tutor, Curator Administrator suo nomine rem emerit. l. 2. ff. quando fact. tut. l. 23. Cod. de SSanc. Eccles. militi & uxori in simili fere casu. l. 8. Cod. h. t.*

V.

Datur etiam utilis vindicatio contra fictum possessorem qui fraudulenter se liti obtulit. *l. 25. & seq. ff. h. t.* vel ante litem contestatam dolo desit possidere *l. 27. §. 3. l. 36. princ. ff. h. t.* si bonæ fidei possessor possessionem licet lata culpa ante litis contestationem amiserit, non tenetur arg. *l. 27. §. 3. l. 36. princ. h. t.* Sin post litis contestationem pati debet æstimationem, *l. 36. §. 1. nisi culpa abfuerit l. 27. §. 1.* datur contra possessorum hæredem quatenus possidet, unum ex pluribus. *l. 2. Cod. si unus ex plurib. hæred.* Si vero defunctus dolo possidere desierit, datur contra hæredes actio in factum, quatenus ex illa re locupletiores facti sint, vel si aliud quid condemnatione dignum post litem contestatam admiserint, hæredes etiam licet non possideant, propterea condemnantur. *l. 42. ff. h. t.*

V I.

Emtori autem donatario aliisque similibus non datur antequam iis res traditæ fuerint, unde in vindicatione rei duobus venditæ, non prior emptor, sed cui prius pretio soluto tradita, potior est *l. 15. C. b. t. l. 72. ff. b. t.* nec competit alicui in rem emptam, sua quidem pecunia, sed per tertium *l. 6. C. b. t.* excipitur miles, cujus pecunia re ab alio empta, datur ei utilis vindicatio *l. 8. C. b. t.* emptum quoque a tutore vel curatore, pecunia minoris, fingitur esse in bonis pupilli aut minoris, ut ab eo vindicetur, licet ejus nomine non sit emptum. *l. 3. Cod. arbitr. tut.* res quoque Ecclesiæ emptæ per æconomum aut administratorem, licet non nomine Ecclesiæ, ejus tamen pecunia, utilis illi sit vindicatio cum gaudeat jure minoris. *l. 23. C. de SS. Eccles.*

V I I.

Nec competit uxori rei vindicatio in rem dotalem stante matrimonio, quia hæc interea est mariti *l. 7. §. 3. ff. de jure dot.* si uxoris alienata res alia fuerit; invita illa; tunc mulieris continuo erit vindicatio; *l. 3. Cod. b. t.* idque inde quod mulier effectu inspecto verè Domina dotis maneat, nisi dos sit data æstimata, quia transit in plenum viri dominium, qui
tan-

tantum est debitor æstimationis ut mulieri eam vindicare non liceat. *l. 5. eod. de jure dot.*

VIII.

Datur adversus quosvis bonæ vel malæ fidei possessores eorumque hæredes quatenus possident *l. 42. 55. ff. h. t.* possidere autem quis debet, tempore litis contestatæ & quo res judicatur, *l. 27. §. 1. ff. h. t.* competit & adversus nudos rerum detentores *l. 9. ff. h. t.* qui tamen liberantur nominando eum cujus nomine possident *l. 2. Cod. ubi in rem act.* si autem non nominent, ipsi tanquam se liti offerentes condemnabuntur, extra Domini præjudicium cui jus suum salvum *per tot. tit. cod. quib. res jud. non nocet.* tenentur quoque hac actione, qui se liti obtulerunt, nisi actor sciverit eos non possidere *l. 7. 25. 26. ff. h. t.* ut & qui dolo possidere desierunt. *l. 27. §. 3. ff. h. t.*

IX.

Actor autem dominium probare adstringitur, *l. 9. ff. h. t.* quo deficiente possessor absolvendus est *arg. l. 11. C. de pet. hered.* secundum vulgarem regulam, actore non probante, reus absolvitur. Sed quia difficilis hujus est probatio, propterea quod actor non tantum suum, sed & antecessoris sui dominium docere ac demonstrare teneatur; ideo huic actioni adjici in libello solet actio Publiciana, ita ut actor dicat se rem petere jure domini vel quasi: dominium autem

autem probatur per instrumenta, vel testes & alia documenta legitima. *Nov. 18. c. 10.* Si tamen possessor conventus se possidere neget, & mendacii convincatur, possessione privatur, & in ipsum transfertur probandi onus. *l. ult. ff. b. t. arg. l. 25. ff. de prob.*

X.

Petuntur hac actione quælibet res corporales, sive mobiles, sive immobiles, sive animatae, sive inanimatae *l. 1. l. 56. ff. b. t.* illud etiam quod ex re nostra superest quemadmodum area destructa domo. *arg. l. 49. §. 1. ff. b. t.* Secus in legato cujus dominium ante traditionem, solo ficto dominio acquiritur, *l. 49. ff. de leg. 2.* petitur & grex, & armenta, quæ sunt nomina collectiva, multas res subjectas significantia, *l. 1. §. fin. ff. b. t.* sed peculium est nomen collectivum, sua appellatione plures res complectens: & tamen negatur ejus recepta vindicatio. *l. 56. ff. b. t.* quam rationem hanc esse asserimus; Quia grex tantum in corporibus consistit, ut quasi unum corpus vindicetur; peculium autem etiam res incorporales continet, veluti nomina, ut cum unum corpus non constituat, nec ut unum corpus vindicetur, sed res singulae sint vindicandæ, *dict. l. 56.* Nec hac actione res sacræ vindicantur, *l. 23. §. 1. ff. b. t.* licet iniquo possessori extorqueri & ita generaliter vindicari possint *l. 21. C. de Sanct. Eccles.* nec res rebus alienis junctæ, sic ut separari facile nequeant natura
vel

vel legis dispositione, ut in tigno ædibus juncto, & junctis per ferruminationem, *l. 5. 6. ff. h. t.* & ut in genere dixerim omnes res quæ sunt extra commercium, liberi tamen, licet sint extra commercium, quia non proprie in dominio ut nec proprie vindicentur, adjecta tamen causa, ex jure quiritium, vi patriæ potestatis eorum vindicatio concessa. *l. 1. §. 2. ff. h. t.*

X I.

Restitutio autem rei vindicatæ una cum fructibus & omni causa fieri solet *l. 20. ff. h. t.* idque eo in loco in quo sunt ac petuntur, aut si alibi sunt, petitoris impensis, ad locum in quo petuntur transferendæ. *l. 10. 11. 12. ff. h. t.* si possessor contumaciâ restituere noluerit, manu militari res auferri poterit. *l. 68. ff. h. t. l. 15. §. 23. ff. de damn. infect.* quod si quis non dolo sed culpa tantum possidere delierit, simplicem solummodo, non ex affectione vindicantis æstimationem præstat, eique tunc actiones cedendæ. *l. 63. ff. h. t.*

X I I.

Si res autem quæ vindicatur, lite adhuc pendente, casu fortuito perierit, nec bonæ nec malæ fidei possessor tenetur, nisi manifestus prædo sit, & rem domino non obtulerit *l. 8. ff. de cond. furt.* sin post

B

litem

litem contestatam, malus fidei possessor, qui prædo non est ita demum tenetur, si actor rem distraxisset atque illa penes actorem eodem modo non fuisset peritura. *l. 15. §. ult. ff. h. t.* Magna autem hic difficultas est, in eo; An re nimirum post moram debitoris interemta fato aut naturali causa, eodem modo peritura apud creditorem, teneatur debitor? variam autem in hac re interpretum sententiam animadvertimus; Dissensere autem Sabiniani à Proculianis, & alii. Quorum aliqui, ut Sabiniani omnimodo absolvendum voluerunt debitorem, quod æquum esset naturalem interitum ad actorem pertinere, utique cum interitura res esset etiam restituta actori. Alii distinguunt inter prædonem & bonæ fidei possessorem, illum teneri volunt non item hunc: Alii in actione reali reum liberari volunt, interitu fato contingente, eo quod illud evitare ne quidem creditor potuisset: deinde quia res domino suo pereat. Hanc autem tanquam probabiliorem amplectimur sententiam. Post moram scilicet re interemta, licet facto aut natura sua, nihilominus teneri reum, si creditor eam distrahere potuit; tum vero demum liberari, quando distrahere non potuisset: prior pars probatur. *l. 47. §. ult. ff. de leg. 1.* ubi tantum inspicitur an creditor distrahere potuerit, ut tum pereat debitori, secundum regulam quæ unicuique moram sibi non alteri vult nocere: posterior pars probatur *l. 14. ff. de cond. furt.* ubi servi fugitivi sub conditione legati ea pendente hæres habet conditionem: si autem lite per heredem mota pendente, conditio extiterit,

titerit, hæres non amplius audiendus, quod ejus non interfit, qui servum petitem non potest retinere, actione tota ad legatarium jam spectante, si servus tamen vindicatus post litem contestatam casu perierit, operarum nihilominus præstanda æstimatio, sed tantum quatenus vixit. *l. pen. ff. b. t.* aliter quam obtineret si dolo aut culpa extinctus esset, quo casu solvenda foret earum æstimatio, quas si vixisset usque ad sententiam præstare potuisset. *l. 33. ff. b. t.*

XIII.


Si possessor aliquas impensas fecerit, actionem ad eas repetendas non habet, retentione se tamen consulere potest *l. 48. ff. b. t.* voluptuarias quidem tam bonæ quam malæ fidei possessor tollit sine rei detrimento: necessarias uterque in totum deducit *l. 5. C. b. t.* excepto casu *l. 13. ff. de cond. furt.* utiles quidem in totum recuperat bonæ fidei possessor, nisi hæ nimis graves sint, nec eas ipse dominus facturus fuisset, quo casu vel tantum tollit, vel tantum recuperat, quatenus res inde melior facta. *l. 38. ff. b. t.*

XIV.

Ita quoque res cum fructibus restituenda si deterior facta fuerit, ratio habenda per judicem quanto deterior facta, quo casu & legi Aquiliæ locus est,

12 DISPUTTIO JURIDICA INAUG.

ad electionem actionum, qui una electa, alia non utitur. *l. 13. ff. b. t.* Et hoc ita in malæ fidei possessore. Quoties autem de impensis deducendis quæstio est, facienda prius fructuum perceptorum, cum impensis compensatio, ac si quid impensum inveniatur ultra fructuum quantitatem, id demum vel tolli vel deduci juxta distinctiones antea datas potest. *l. 48. ff. b. t.*



C O-



COROLLARIA.

I.

Princeps est legibus solutus.

II.

*Periculum rei vendita pertinet ad em-
torem.*

III.

*Sola perceptio fructuum non facit bona
fidei possessorem Dominum.*

IV. Bo-

I V.

*Bona fidei possessor etiam naturales fructus
suos facit.*

COROLLARIA

FINIS.



III

*Sola perceptio fructuum non facit bonam
fidem possessoris Domini. Carmen*

IV. Po.

Carmen Gratulatorum

A D

DOCTISSIMUM ET ORNATISSIMUM

VIRUM JUVENEM

D. CORNELIUM
SWILDENS,

*Cum in Acad. ULTRAJ. J. U. D.
crearetur.*



Non ego me memini dormisse in
monte Bicorni,

Nec mea Pegaseo fonte labella
madent,

Fas tamen esse puto dignas tibi reddere laudes,

Quo tibi sit notum quam mihi dignus eras.

Possideant alii congestos æris acervos,

Et vertant bobus jugera mille suis;

Ingentes Arabum gazas mirentur inepti;

Hæc animæ nequeunt exfatiare sitim.

Talia

Talia subsidunt, juris sapientia præstat,
Quæ docet ex æquo reddere cuique suum.
Reddi rem Domino injustus quam possidet alter
Poscis, sicque doces reddere cuique suum.
Inde Triumphales circum tua tempora Lauros
Trajectina gravi flectit honore Themis.
Nos cum lætanti lætamur fronte serenâ,
Gaudia amicorum gaudia nostra puta.
Egregiam exorna renovatis viribus illam
Spartam, quæ ex merito parta labore venit.
Pervolitet vivatque tuum per secula nomen,
Et sælix captis annuat aura tuis.

JOH. SALDENUS.

S. S. Th. St.

